

vterque eorum, qui contraria docebant, ederet mi-
 racula (quod sæpe astu Satanæ & iusto Dei iudicio
 contingebat) illius tantum vera sententia habere-
 tur, qui vel plura vel maiora, id est, magis stupen-
 da & inaudita operaretur. Itaque postremis maxi-
 mè temporibus, quæ has tot hæreses proximè se-
 cuta sunt, & ante vicinam Antichristi parturitio-
 nem hæc hæresis inualuit, vt apparet ex Nicepho-
 ro libro 8. capite 35. libro 14. cap. 45. & tota Nicæna
 synodo secunda, vbi potissimum propter iactata
 miracula cultus idolorum siue imaginum in Eccle-
 siam inuectus & approbatus est. Hoc eodem fun-
 damento nituntur penè omnes errores, qui præ-
 ter atque etiam contra manifestum Dei verbum
 siue in Papismo, siue in Mahumetismo defendun-
 tur. Hoc eodem nouæ in dies hæreses & supersti-
 tiones finguntur & commendantur, vti ex Grego-
 rii Turonensis & similibus scriptorum historia faci-
 lè colligi potest. Itaque omnium hæreseôn magnū
 isti Mirabiliarii fundamentum iaciunt, sed tamen
 falsissimum & imbecillimum. Neque enim nos pri-
 mum reuocat Christus ad miracula, sed ad Scriptu-
 ras diuinas, Ioan. 5. vers. 39. vti etiam Petrus in 2. E-
 pist. 1. v. 19. Deinde cum Satanæ ipsi data sit à Deo
 efficacia & vis, per quam signa & miracula opera-
 tur, vt qui soli Dei verbo acquiescere noluerunt,
 decipiantur, vt ait Paulus 2. Thess. 2. vers. 9. & 10,
 quàm inualidum est hoc vnicum miraculorum fun-
 damentum ad veritatem doctrinæ dignoscendam?
 Mirabiliariis sese adiunxerunt Enthouiastræ, qui &
^{et Deo} dicti sunt. Hi ecstasi se rapi fingunt, vt cum
 Deo vel Spiritu ipsius colloquantur. Vnde postea
 varios errores cudunt & ingerunt. Hac arte vsus
 Ma-